



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 15. Obedientia resoiciens sapientiam, & scientiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

iam devota liberè abire finitur, & montes sine ullà custodià, circumvagari: minus enim morem, quàm inobedientiam, timebat. Mendoza in 1. Reg. 3. 9.

Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli. 1. Reg. 2. 11. id est, ut explicat S. Greg. mor. l. 12. c. 8. erat obediens Deo in homine. Repetit deinde 1. Reg. 3. 1. similia verba, postquam profecit, & crevit. q. d. non solum, cum rudimenta in virtute faceret, obediens erat; sed etiam dum crevit in pietate. Pinna in Eccl. Ethol. 50.

Vas electionis est mihi iste. Act. 9. 15. Est? cur non dixit, erit? quia dixit: Domine, quid me vis facere? Escobar tr. Colloq. Chr. l. 2. obs. 5.

Tremunt potestates, non metu formidinis, cum sint perfectè beati; sed administrationis affectu, vel obedientiæ famulatu: cum, secundum Apostolum, omnes sint administratores spirituum. Innocentius III. P. de Sacro alt. myst. l. 2. c. 61.

Cum illum senseris concidisse; scito, nullam aliam potiore causam intervenisse, quàm, quod cordi suo credidit, quod seipsum instituit. Nihil gravius, nihil perniciosius, quàm seipsum regere. Cum essem adhuc cum cæteris in canobio, reponebam semper omnia apud Abbatem Joannem Seniores; nec aliquando sustinui quidquam facere præter ejus voluntatem. Quod si aliquando mihi cogitatio, & mens mea, respondisset: quid nunc turbare senem pergis? hoc tibi dicturus est, quod ego; iratus in cogitationem hujusmodi meam referebam: anathema tibi! quidquid iudicii est tibi, quidquid discretionis est, quidquid prudentiæ, quidquid intelligentiæ: id omne tibi à dæmonibus est. S. Dorotheus de Renunt. Doctr. 5.

§. XIV.

Obedientiæ varia alia motiva.

Benedixitque Deus Noe. Gen. 9. 1. Prius benedixit, & benefecit; deinde præceptum imposuit leve, ac facile, de abstinendo à sanguine, & suffocato. Viam subditis ad obediendum libenter stratum efficit, qui beneficiis antè collatis eos devincit, & ad parcendum excitat. Fernandus hic.

Fratri tuo servies. Gen. 27. 40. Ostendens, quia servitus ei remedio fit; quia stultus regere se non potest: & nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. S. Ambros. l. 2. ep. 7.

Ecce ego. 1. Reg. 3. 4. Mira obedientiæ promptitudo! Nec intempesta nox, nec suavitas somni, nec jucunditas lecti, puerum poterunt tenere; quò minus statim profliret ad obediendum; & quidem non iustus, sed nominatus. Mendoza in 1. Reg. 3. 4.

Obedientiæ est spontanea mors, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, tuta navigatio, confectum dormiendo iter, sepulchrum voluntatis. Joan. Clim. gr. 4. de obed.

Obedientiæ est perfecta abnegatio propriæ animæ, & corporis, mors voluntaria, vita si-

nè sollicitudine, navigatio sine damnò, sepultura voluntatis. Est, iter facere dormiendo sub onere aliis imposito; & super aliorum ulnas, nè mergaris, natate. Id. ib.

In scholis obedientiæ non docentur exceptiones regulæ; rerum, locorum, temporum, & sociorum: replicationes non audiuntur; propelluntur allegationes, appellationes, non admittuntur. Sim. Cas. l. 4. c. 1.

§. XV.

Obedientiæ respiciens sapientiam, & scientiam.

Præcepitque ei dicens &c. Gen. 2. 16. Cum Deus hominem condidisset ingenio perspicuum; mox eum obedientiæ præcepto obstrinxit. Secunda Persona, cui sapientia tribuitur, facta homo obediens usque ad mortem; nè quis putet indecens esse, hominem sapientem parere. Pinna Ethol. 50.

Sol contra Gabaon ne movearis. Jos. 10. 12. Vehementer extollitur miraculum stante sole ad imperium hominis: quia ingentis laudis est, sapientiâ illustres parere aliis. Id. ib.

Mens iusti meditatatur obedientiam. Prov. 15. 28. Glossa, & alii, pro obedientiam, legunt sapientiam. Cornelius hic.

Collum tuum sic ut monilia; mureculas aureas faciemus tibi, vermiculatas argentò. Cant. 1. 9. 10. Card. Hailgrinus, aurò & obedientiam, & sapientiam, designari putat. Naxera in Jos. 13. §. 12.

Filii sapientiæ Ecclesiæ iustorum; & natio illorum obedientia, & dilectio. Eccl. 3. 1. Bene connectitur sapientia cum obedientia; & illius filii hæc possidere dicuntur: nam, ut S. August. in Pl. 118. custodienda obedientia, ut percipiatur sapientia. Tuffo hic. Natio, id est, profapia illorum, putà spiritualis, & mystica, est obedientia, & dilectio, q. d. sapientiæ filii, putà discipuli, & studiosi; præter naturalem, & carnalem, generationem; aliam profapiam habent supernaturalem, spirituales, & divinam; putà obedientiæ, & charitatis; ex qua spiritualiter prognati sunt: in his enim duobus consistit vera sapientia practica. S. Augustinus in speculo legat. & nati illorum obedientia, & dilectio. Cornelius hic.

In scientia sua justificabit ipse iustus &c. Il. 53. 11. Quæ est scientia ejus, nisi obedientia ejus? Cum esset filius Dei, inquit Apostolus Hebr. 5. 8. didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam &c. S. Rupertus hic.

Erat subditus illis. Luc. 2. 51. Christus D. post solennem illum cum Doctoribus in templo congressum, post evulgatas opes sapientiæ; subditus factus est parentibus. Non ergo sapientes dedecet obedire; quando Christus, æterna Patris sapientia, tum potissimum Matri se subdidit, cum sapientiæ specimen ingens præbuerat in medio Doctorum. Oliva l. 13. Strom. Luc. 2. v. 51.

Erat subditus illis. Iesus autem proficiebat. Luc. 2. 52. Via proficiendi obedientia. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 2. Obs. 5.

§. XVI.